

366

364

370

maledictionibus et blasphemias. Vasa etiam mercibus plena et cistas transposuit, serris et securibus asseres abbreviavit et omnia infra et supra, quae ab Alexandria intacta steterant, illa sacratissima nocte ac die transponi mandavit dicens, cursum galeae pati impetum, nisi alterentur. Non vidi graviores labores, nec audivi pejora juramenta et blasphemias, nec tantam inquietudinem percepvi in toto marino itinere, sicut hac sacra nocte et die. Et profecto coeco coecior est, qui non videt daemonis hoc esse opus. Haec res odibilem mihi fecit peregrinationem Hierosolymitanam.

Die hoc sacro advesperascente invaluit ventus, nec progredi nocte licebat propter maris illius petrositatem, nec in tutum portum Albaniæ intrare valimus propter inhabitantes Turcos, alia autem loca importuosa erant. Tandem autem post decursum inquietum in littus portuosum Albaniæ appulit galea, sed desertum, juxta quod nec homines nec bestiae morabantur. Dicebatur autem locus ille Stamnum, in quo cum taedio stabilitis navibus per noctem mansimus.

Vicesima sexta die, quae est festum beati Stephani proto-martyris, ante lucem aptabant navem pro recessu, quia ventus bonus adspirare cooperat, cui cum vela daremus, repente ferebamur via nostra, et promontorium Acrocerauni, quod in angustias Adriatici sinus protenditur, pertransivimus et in Jonicum incidimus sinum; post hoc promontorium est quaedam civitas, Epidaurum et Dirrhachium dicta, ubi dicunt, quod Constantinus Magnus, resignans Romam papae, volebat constituisse et aedificasse Constantinopolim, et fundamentis jactis dimisit totum et transivit Bysantium in Thraciam, ibi aedificans, quod intendebat. Vide Fol. 197.

Eodem die transivimus juxta insulam, quae dicitur Tremula, in sinu Risenisco, et ibi ab utraque parte (196a) terras vidimus Christianorum: ad dextram vidimus Dalmatiam, ad sinistram autem Campaniam et Apuliam, in qua S. Michaelis montem vidimus, montem Gorganum in Adriaticum venientem mare, cuius in radiis Sipontum civitas, olim a Diomede, Martis victore, condita.

Secus hunc montem dicunt Danaen Acrisii regis Argivorum filiam inventam per mare advectam, stupratam enim et impregnatam a Jove in specie aureae pluviae pater in arcum posuit et in mare misit, quae arca usque ad littus Apuliae pervenit et a piscatoribus inventa et extracta, quam aperientes invenerunt Da-

Ende

Anfang